

Pirhing h. t. n. 8. Ratio est, quia per appellationem, nisi frivola sit, & frustratoria, suspenditur sententia, ut patet per ea, quae diximus Lib. 2. Tit. 28. §. 7. de Appellatione. Præter hos casus c. fin. h. t. & l. Lucius 28. ff. Mandati, contentos, assignantur à Doctores adhuc alii. Unde

72 Quartus casus præbens Fidejussori justam causam petendi liberationem à Fidejussione est, si inter debitorem & Fidejussorem graves vel capitales exortæ sunt inimicitie. Barbosa lo. cit. n. 14. Surd. de Aliment. tit. 1. q. 45. n. 73. Pirhing h. t. n. 18. arg. l. Filiusfamilias. 8. §. ff. de Procurat. Intelligit, si culpâ debitoris, non item, si culpâ Fidejussoris inimicitie sint exortæ; alias enim pro libitu liberare se posset à Fidejussione Fidejussor, incipiendo nempe iniquè litem ac discordiam.

73 Quintus casus est, si inter Fidejussorem & debitorem conventum est, ut eveniente certâ conditione, aut elapso certo tempore liberaretur Fidejussor. Glossa in c. fin. h. t. §. Si diu. Barbosa in cit. c. fin. h. t. n. 13. Gailus lo. cit. num. 13. & 14. Menochius de Arbitrar. casu 41. n. 26. Pirhing h. t. n. 18. Ratio est; quia contractus ex conventionem legem accipiunt, l. 1. §. 6. ff. Depositi; & pacta jura servanda sunt, l. penult. C. de Pactis.

74 Sextus casus est, si Fidejussor ex rationabili causa, v. g. negotiationis, studiorum, vel simili, vult peregre proficisci; Abbas in c. fin. h. t. n. 4. Barbosa in idem c. n. 16. Pirhing h. t. n. 18. Gailus lib. 2. Observ. 29. n. 15. arg. l. Filiusfamilias. 8. §. ff. de Procurat. l. Aut si. 9. & l. Aut longa. 23. ff. eod. Sunt præter enarratos, adhuc alii, minus tamen in praxi occurrentes casus, in quibus pro liberatione agere potest Fidejussor, quos vide apud Doctores, præsertim Socium Reg. 147.

75 Quæri hic etiam posset, quæ actiones oriuntur ex Fidejussione? verum quia de hoc supra à n. 61. de Beneficio cedendarum actionum sufficienter jam egimus, docendo, quod creditori principali competat actio contra debitorem principalem, & Fidejussorem, quam actionem Fidejussori solvendi, vel ad solvendum damnato cedere potest ac debet; ideo hic nihil repetimus, sed illic Lectorem remittimus.

76 Id solum notandum, quod actio, quam creditor, vel ex hujus cessione Fidejussor habet, non tantum detur contra debitorem principalem, ac Fidejussorem, atque confidejussorem, sed etiam contra heredes eorum. §. 2. Inst. h. t. ibi: Fidejussor non tantum ipse obligatur, sed etiam heredem relinquit obligatum. & l. Fidejussoris. 24. C. h. t. Etiam si nulla hæredum fiat mentio, l. Veteris. 13. C. de Contrah. & committend. stipulat. ibi: Generaliter sancimus, omnem stipulationem sive in dando sive in faciendo, sive mixta ex dando & faciendo inveniatur, & ad heredes, & contra heredes transmitti; sive specialis hæredum fiat mentio, sive non. Imò etiam si Fidejussoria obligatio taxativè concipiatur, & dicatur, quod Fidejussor solus, vel tantum, dumtaxat teneatur, contra heredes ejus dabitur actio, l. Si necessarias. 8. §. 4. ff. de Pignora. act.

TITULUS XXIII.

De Solutionibus.

I. Ratio continuationis.

Quandoquidem debitore principali non solvente, ad solvendum compellitur Fidejussor, juxta vulgare illud Germanum adagium die Burgen mues

man vuirgen, recto ordine post Tit. de Fidejussor. sequitur Tit. de Solutionibus, quibus solutionis obligatio etiam ex aliis capitibus oriatur.

§. I.

De Natura Solutionis; ac iis, qui solvere possint & debeant: nec non de illis, quibus solvi possit ac debeat.

SUMMARIUM.

- 2 Solutio latè sumpta quid?
- 3 Solutio propriè sumpta definitur.
- 4 Omnis, qui debet, tenetur solvere per se, vel per alium.
- 5 Si solvendo non est, tenetur cedere bonis.
- 6 Qui non habet in ære, luat in cute, quomodo intelligendum?
- 7 Solvendo non existens Clericus non tenetur cedere bonis, nec potest propter incarcerationem, aut aliter molestari.
- 8 Limitatur primò in Clerico Minoris. Opinio contraria Fagnani. Ibid.
- 9 Secundò in Clerico malitiosè negante debitum.
- 10 Tertio, si Clericus debet ex delicto: item qui bona illicitè v. g. cum meretricibus consumpsit.
- 11 Quarto, si est suspectus de fuga.
- 12 Quintò in casu, quo creditor magis eget, quam Clericus debitor.
- 13 Qui rerum suarum administrationem non habent, validè solvere non possunt.
- 14 Procurator tam specialis quam universalis pro debitore solvere potest.
- 15 Imò quibus aliis etiam pro invito solvere potest. Conditionem alterius etiam ignorantis meliorem, non item deteriorè facere quis potest. Ibid.
- 16 Successor Ecclesiasticus solvere tenetur debita ab antecessore pro Ecclesiæ utilitate contracta.
- 17 Non item alio titulo contracta.
- 18 Ut successor teneatur solvere debita antecessoris, debet prius creditor probare, ea in Ecclesiæ utilitatem, vel necessitatem fuisse conversa.
- 19 Aut saltem, quòd tunc temporis adfuerit Ecclesiæ necessitas. Subtilitas nimia in observando Jure subinde nocet. Ibid.
- 20 Solutio primùm fieri debet, ac potest creditori etiam invito, si administrationem suorum bonorum habet.
- 21 Et verò, qui administratione caret, solutio fieri nequit.
- 22 Fieri tamen potest ejusdem tutori, aut curatori, in quo casu securus quis facit, ut adhibeat auctoritatem Judicis.
- 23 Procuratori tam generaliter, quam specialiter ad solutionem accipiendam deputato rectè solvitur.
- 24 Cui etiam, si ignorante debitore deponitur à procuratoris officio, solutio facta valet.
- 25 Idem est de servis, & filiis familias specialiter vel generaliter ad id deputatis.
- 26 Etiam creditori creditoris rectè fit solutio.

Ueritur I. Quid sit solutio? Resp. I. Solutio nem posse latè, ac generaliter; atque propriè & strictè sumi. Generaliter, & latè sumpta significat omnem quamcunque satisfactionem, pro omni quacunque obligatione, sive per ultroneam promissionem, sive alio quovis modo contractam, l. Solutionis verbum. 54. ff. h. t. ibi: Solutionis verbum pertinet ad omnem liberationem, quoquo modo factam. & l. Solutionis verbo. 176. ff. de V. S. ibi: Solutionis verbo satisfactio.

§. I. De Natura Solutionis; ac iis, qui solvere possint &c. 387

facilione quoque omnem accipere placet: solvere dicimus eum, qui fecit, quod facere promisit.

3 Resp. II. Solutio propriè ac strictè sumpta est idonea ac sufficiens debito præstatio, seu satisfactio, tempore & loco convenienti legitime facta. Ita in re communis. Nec indiget aliqua declaratione; cum pateat ex terminis. Sola notanda verba legitime facta, quorum loco alii, sed minus juridicè, ponunt, creditori facta: quia uti ex l. Solutum. 49. ff. h. t. constat, & ex infra dicendis patebit, vera solutio esse potest, etiam non ipsi creditori, sed alicui alteri personæ fiat.

4 Queritur II. Quinam solvere teneantur, & possint? Resp. I. Solvete per se, vel per alium tenetur omnis, quicumque debet vel obligatur; sive dein sit Laicus, sive Clericus, sive masculus sive femina. Ratio est; quia Justitia exigit, ut reddatur unicuique suum, seu quod ei debetur, notis Juribus; nec obligatio aut debitum tollitur nisi solutio, & satisfactione, prin. Inst. Quibus modis toll. obligat. ibi: Tollitur autem omnis obligatio solutione ejus, quod debetur.

5 Resp. II. Si quis debitor solvendo amplius non sit, & est Laicus, debet cedere bonis, ac permittere, ut bona ejus subhantent. Germanis sich auf die Gant schreiben lassen. Ex quibus dein bonis cessis creditores servato Juris ordine §. III. ponendo sumunt, quantum cuius debetur, quamvis aliquid adest, claro, l. 1. C. Qui bonis cedere possunt: relicti tamen iis, quæ debitori ad sustentationem necessaria sunt. Nec enim fraudandus est alimentis quotidianis, ut dicit Ulpianus, l. Qui bonis. 6. ff. de Cessio. bonor. Quo non obstante, si ad pinguorem fortunam venerit, tenetur solvere, in quantum potest. l. Is qui. 4. ff. eod. ibi: Is, qui bonis cessit, si quid postea acquisiverit, in quantum facere potest, convenitur, cum concordantiis & c. 3. h. t.

6 Dices. Juxta trium axiomata, Qui non habet in ære, luat in cute: l. 7. §. 3. ff. de Jurisdic. ibi: Qui inopia laborant, corpus torquendum est: & l. fin. ff. de in jus vocando: ergo. Resp. distinguendo antecedens. In debitis ex delicto provenientibus, conceditur: ex mutuo, vel alio titulo provenientibus, negatur: quia dictum axioma tunc solum procedit, quando quis delictum committit, cuius poena pecuniaria est; nam in tali casu, si solvere nequit, luere debet in cute, ne delicta maneant impunita.

7 Resp. III. Quamvis, ut dictum, etiam Clerici solvere teneantur; nihilominus, si ob inopiam solvendo non sunt, ob delictum bonis cedendo non tenentur, nec excommunicari, incarcerationi, aut aliter molestari possunt. Abbas in c. Odoardus. 3. h. t. n. 3. Barbosa in idem eod. n. 2. Engel h. t. n. 1. Sannig eod. cap. 2. n. 1. & communis aliorum. arg. cit. c. Odoardus. 3. h. t. Neque tenetur creditori ea cuncta cedere pro solutione debiti, quæ de presenti habet, sed ea, quæ pro honesta sustentatione sunt necessaria, deducere, ac sibi reservare potest. Glossa in c. 3. h. t. §. Ad pinguorem. Menochius de Arbitrar. Jud. casu 103. n. 30. Abbas lo. cit. n. 8. Engel h. t. n. 1. Covarruvius Var. Resolut. lib. 2. cap. 1. n. 9. cum communi aliorum, arg. l. Is qui. 4. ff. de Cessio. bon. Ratio est; quia sicut imiles non tenetur solvere usque ad subtractionem sustentationis necessariz. arg. l. Miles. 6. prin. ff. de Re judicari. Ita dicendum de milite Christi, ut notat Glossa in dictam l. Miles.

8 Limitatur tamen Conclusio primò in Clerico, in Minoribus primùm constituto; nisi serviat Ecclesiæ. Covarruvius lo. cit. §. Sed quoad decisionem. Barbosa in c. 3. h. t. n. 8. Menochius lo. cit. Molina Disp. 121. n. 20. cum communi aliorum. arg. Concil. Trident. Sess. 23. cap. 6. Quamvis Fagnanus in c. 3. h. t. Juri verè conformiter doceat, quovis etiam Minores Clericos gaudere beneficio, cit. c. 3. h. t. cui tamen, quia praxis resistere videtur, adherendum non videtur.

Reiffensuel Jus Can. Tom. III.

Limitatur secundò, si Clericus malitiosè negans de debito, convincitur, Barbosa in c. 3. h. t. n. 11. Belletus de Clerico debitor. §. 2. n. 1. Molina lo. cit. n. 21. Fagnanus in cit. c. 3. h. t. n. 55. Put. Decis. lib. 2. Decis. 221. Gutierrez, & alii, arg. c. 3. h. t. ibi: Recognoscendum debita: id est, conscientem debita, uti bene exponit Glossa in cit. c. 3. h. t. §. Recognoscendum. arg. l. Sicuturbit. 10. §. 1. ff. de Fidejussoribus.

Limitatur tertio, quando Clericus convenitur pro debito descendente, ex delicto, vel quasi delicto: tunc enim capi, & incarcerationi potest, Barbosa lo. cit. n. 15. Bellet. lo. cit. n. 9. Farinacius de Carcer. & Carcerat. tom. 1. p. 1. q. 27. n. 72. Abbas in c. Veniens. 8. n. 4. de Transact. Ratio est; quia male meritis publicè, ut exemplo aliis ad deterrenda maleficia sit, etiam egstat laborare debet, l. Bona fides. 31. ff. Depositi. Idem est de Clerico, qui ludo prohibito, aut cum meretricibus bona sua consumpsit. Bellet. lo. cit. n. 6. Barbosa in c. 3. h. t. n. 21. & teste Fagnano in c. 3. h. t. n. 39. & 40. moderni communiter.

Limitatur quarto, si Clericus suspectus est de fugis; tunc enim capi cum bonis suis poterit etiam ab ipso creditore, ac tradi competenti Judici. Covarruvius lib. 1. Var. Resolut. lib. 2. cap. 1. n. 9. Belletus lo. cit. n. 17. h. t. arg. c. Olim. 12. de Restit. spoliar. ubi licitum est cum moderamine inculpate tutelæ invadere Clericum pro rebus recuperandis; ut lo. cit. bene advertit Abbas.

Limitatur quinto in casu, quo creditor magis eget, quam ipse Clericus debitor. Barbosa lo. cit. n. 7. Belletus lo. cit. n. 11. & alii. Ratio est; quia in pari causa præferri debet, qui agit de damno vitando: sicut & in dubio pronuntiandum est pro eo, qui agit de damno vitando, uti DD. scribunt in l. fin. §. Si autem. C. de Jure delibandi. Plures alias limitationes vide apud Barbosam in c. 2. h. t. d. n. 6. Bellet. de Clerico debitore. §. 2. & alios.

Resp. IV. II, qui liberâ rerum suarum administratione carent, uti sunt pupilli habentes tutorem, minores, & prodigi habentes curatorem, sine auctoritate curatorum, aut tutorum solvere non possunt, l. Quod si. 14. §. fin. ff. h. t. ibi: Pupillum sine tutoris auctoritate nec solvere posse palam est. Concordat §. fin. Inst. Quibus alien. licet. Ratio est; quia solutio est quedam alienationis species, Ibid. Quod, si nihil minus solvant, non fit accipientis; cum nullius alienatio eis sine tutoris auctoritate sit concessa, ut dicitur cit. §. fin. Inst. Quibus alien. licet. Concordat cit. l. 14. §. ult. ff. h. t. ibi: Sed si dederit nummos, non sicut accipientis, vindicari que poterunt. Planè si fuerint consumpti, liberabitur. Pariter liber erit à vindicatione creditor, si pecunias à pupillo acceptas suis jam ita commiserit, ut dignosci nequeant. Zas. ad l. 19. §. 1. n. 8. ff. de Rebus creditis.

Resp. V. Solvere pro debitore potest procurator ejusdem non tantum ille, qui speciale ad id mandatum habet, sed etiam universalis, l. Procurator. 58. de procurat. ibi: Procurator, cui generaliter libera administratio rerum commissa est, potest exigere, aliud pro alio permutare. Additur l. immediate sequenti. ff. eod. Sed & id quoque ei mandari videtur, ut solvat creditoribus. Unde solum a procuratore universali dominus repetere nequit; nam ut dicit Celsus l. Quodlibet. 87. ff. h. t. Quodlibet debitum solum a procuratore meo (universali) uti patet ex contextu; non repetit.

Resp. VI. Non tantum debitor principalis, aut procurator ejus, sed quicumque alius pro debitore etiam invito ac ignorante solvere, ac satisfacere, eumque à debito liberare potest, l. Solutionem. 23. ff. h. t. ibi: Solutionem vel judicium pro nobis accipiendo, & invito, & ignorante liberari possumus. Idem habetur l. Solvere. 53. ff. eod. Solvere pro ignorante & invito.

K k 2

invito, cuique licet. Ratio ibidem redditur: quia nempe licet etiam ignorantis invitique meliorem conditionem reddere. Concordat l. Solvendo. 39. ff. de Negotiis gestis. ubi eadem ratio additur, videlicet alienam conditionem meliorem quidem etiam ignorantis & invito, nos facere posse, deteriore non posse. Ubi notandum, quod si quis pro alio sciente, & volente solvat, habeat contra illum actionem repetere a debitore id, quod solvit, potest, l. Cum pecuniam 43. ff. de Negotiis gestis. nisi, si quid debitoris interfuit, eam pecuniam non solvi, prout limitat, cit. l. Cum pecuniam. Si vero pro alio nolente, ac contradicente solvat, nulla eidem actio, vel jus repetendi solutum competit, arg. l. fin. C. de Negotiis gestis. & cit. l. 6. §. 2. ff. Mandati.

46 Queritur III. An Successor in Episcopatu, Prælatura, aut Beneficio solveat teneatur debita ab Antecessore facta? Resp. I. Affirmative, si debita pro Ecclesiæ utilitate, vel necessitate fuerint contracta. Communis, textu claro c. 1. h. t. ibi: Sicut filius debita patris solveat teneatur, ita Prælati sui Prædecessoris pro Ecclesiæ necessitate contracta. Idem est de debitis, quæ Antecessor pro sua necessaria, honesta, ac decenti sustentatione contraxit, Abbas in c. 1. h. t. n. 2. Barbosa in idem c. n. 3. Engel h. t. n. 18. Flamin. Paris. de Regis. lib. 1. q. 16. n. 15. Fagnanus in idem c. num. 10. citans Rotæ decisionem. Ratio est; quia & hæc debita propter unionem, quam habet Rector cum Ecclesiâ, pro necessitate Ecclesiæ censentur contracta, eo quod Ecclesiâ teneatur Prælatum suum alimentare: eam secundum Apostolum, qui altari servit, vivere debeat de altari: & qui ad onus eligitur, repellitur non debeat a mercede. c. Cum secundum. 16. de Præbend.

47 Resp. II. Si Antecessor nec pro utilitate aut necessitate Ecclesiæ, nec pro necessaria aut honesta sui sustentatione, sed alio titulo debita contraxit, ea solveat Successor non tenetur, textu claro c. 2. h. t. c. 4. de Fideiuss. & c. 1. de Deposito. can. 2. cau. 10. q. 2. iuncta Glossâ in c. 1. h. t. §. Necessitate. Accedit ratio; quia juxta Reg. 76. Jur. in 6. Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare: & consequenter neque Clerici, debita contrahentis injuria vel prodigalitas nocere debet Ecclesiæ. Hinc talia debita vel de Antecessoris relictis patrimonialibus solvi, vel his deficientibus insoluta manere debent: ubi sibi adscribat, oportet, Fideiussor, vel creditor, qui Rectori Ecclesiæ ad alias, quam Ecclesiæ necessitates quid mutuo dat, credit, vel pro eo fideiubet.

18 Resp. III. Ad hoc, ut Successor Ecclesiasticus teneatur solveat debita ab Antecessore contracta, debet creditor probare, pecuniam, vel rem creditam esse in utilitatem vel necessitatem Ecclesiæ, aut saltem necessariam Prælati sustentationem conversam. cau. 2. §. 1. ad finem cau. 10. q. 2. ibi: Is creditor hic intelligatur, qui, quod credidit, probat, in utilitatem divini domus processisse. Concordat c. penult. de Fideiuss. ibi: Nisi forsitan manifestè constiterit, in utilitatem domus ipsius redundasse. ubi notanda verba: nisi manifestè constiterit.

19 Notant tamen communiter DD. uti Abbas in cit. c. penult. n. 7. de Fideiuss. Joan. Andreas in c. Ex præsentium. de Pignor. Hostiensis in c. 1. h. t. n. 3. Covarruvias Var. Resolut. lib. 2. cap. 17. n. 3. Fagnanus in c. 1. h. t. n. 7. Belletus de Clerico debitore. §. 3. n. 42. & Glossa in cau. 2. §. 1. ad finem cau. 10. q. 2. §. Probat, & alii, sufficere, si creditor probet, tunc temporis adfuisse casum utilitatis, vel necessitatis Ecclesiæ; etsi non probet, in eam pecunias, vel aliam rem creditam fuisse convertitam, arg. l. 1. Quid si mutuum. §. 8. ff. de Exercit. Actio. & l. Lucius. 7. ff. cod. Ratio

est; tum quia, uti benè advertit Abbas, & Glossa locis citatis, nimis durum esset tam Prælato, quam creditori, si ille in quovis casu semper deberet mittere testes, vel aliter certificare, quod pecunia mutuanda, vel res alteri accipienda actualiter in Ecclesiæ utilitatem expendatur: Vel hic, creditor nempe semper curiose interrogare deberet, ad quem usum petatur. similitaque attendere, an actu ipso ad Ecclesiæ utilitatem converteretur. Et profectò, si nimia subtilitate in hac causa procederetur, timendum, ne potius in perniciem, quam utilitatem Ecclesiæ verteretur, cum vix inveniretur, qui cum Ecclesiæ Prælati contraheret, prout Glossa lo. cit. ulterius benè notat, arg. l. penult. princ. C. Ad S. C. Trebell. ubi hujusmodi nimia subtilitas in causa pupillorum rejicitur ex eadem ratione, illis verbis: Ne dum nimia subtilitate utimur circa res pupillares, ipsa subtilitas ad perniciem eorum revertatur.

Queritur IV. Quinam fieri debeat, aut possit Solutio? Resp. I. Primum solutio fieri debet ac etiam invito potest ipsi creditori; dummodò is rerum suarum administrationem habeat, ipsique solutio debito loco, & tempore fiat. Quòd si creditor solutionem in hujusmodi circumstantiis accipere nolit, poterit debitor pecuniam debitam Magistratui consignare, sicque se & debito principali, & ab usuris liberare. Sylvester §. Solutio. q. 4. Engel h. t. num. 2. ac 3. Saunig eod. cap. 2. num. 2. ac communis, textu claro l. Ob signatione. §. C. h. t. Porro debet fieri creditori solutio; etiâ ad mortem accusatus esset, l. Reo. 41. ff. h. t.

Dicitur autem notanter in Conclusione: dummodò rerum suarum administrationem habeat: huic enim, qui caret, sine autoritate tutoris, aut curatoris solutio securè non præstat. Hinc si qui sine horum autoritate pupillo, minori, aut alii curatore habenti, uti prodigo, amanti &c. solvit, & pecunia soluta perdat, aut malè consumatur, denuò pro solutione debiti conveniri potest. Ita DD. lo. cit. quia Pupillo solvi sine autoritate tutoris non potest, l. Pupillo. 15. ff. h. t. ubi tamen in favorem solventis additur: Si tamen solverit ei debitor, & nummi salvi sint, petentem pupillum, doli mali exceptione debitor submovebit. Hinc

Resp. II. Creditore administratione suorum bonorum careate solvi potest ejusdem Curatori, vel tutori: textu claro l. Quid si. 14. §. 7. ff. h. t. ibi: Curatori quoque furiosus rectè solvitur; item curatori sibi non sufficientis, vel per aetatem, vel per aliam justam causam: sed & pupilli curatori rectè solvi constat. Quo clarissimo, aliique Juris textibus non obstantibus, securius facit debitor pupilli, aut minorennis, si adhibita etiam autoritate Judicis solutionem præstat; secus enim pecuniâ solutâ malè perditâ, pupillo competit beneficium restitutionis in integrum, etsi pupillo eum autoritate tutoris, aut curatoris, aut ipsi curatori, vel tutori debitum solverit. §. fin. Instit. Quibus alienari licet, vel non.

Resp. III. Creditoris Procuratori speciale ad id, vel generale mandatum habenti solutio debiti legitime fit: textu claro, l. Vero. 12. princ. ff. h. t. ibi: Vero procuratori rectè solvitur. Verum autem accipere debentur eum, qui mandatum est vel specialiter, vel cui omnium negotiorum administratio mandata est: iunctâ l. Qui hominem. 34. §. 3. ff. cod. Si verò mandato generali carens ad aliquid aliud, v. g. item, specialiter constitutus esset procurator, rectè eidem non solvitur, l. Sed si. 13. ff. de Pactis, & l. Hoc jure. 86. ff. h. t. ibi: Hoc jure utimur, in litis procuratori non rectè solvatur.

Porro si creditor procuratorem suo officio privat, vel, ne solutionem accipiat, specialiter prohibet, idque debitor ignorat, liberabitur ab obligatione sua,

sua, si hujusmodi procuratori solvat; secus, si sciat, cit. l. Vero. 12. §. 2. ff. h. t. ibi: Si quis mandaverit, ut Titio solvam, deinde veterit, eum accipere; si ignorans, prohibuit, eum accipere, solvam, liberabor; sed si scivero, non liberabor, junctâ l. Qui hominem. 34. §. 3. ff. cod. ibi: Si Titium omnibus negotiis meis præposuero, deinde vetero eum, ignorantibus debitoribus, administrare mea negotia, debitores ei solvendo liberabuntur. Concordat l. Dispensatori. 51. ff. cod.

25 Resp. IV. Servis quoque ac Filiis familias, si exigendis pecuniis specialiter sint deputati, aut liberam atque universalem habent administrationem, rectè solvitur, per Jura num. præced. citata, ac l. Si quis. 18. atque l. Solutam pecuniam. 49. ff. h. t. ibi: Etsi jussu ejus alii solvitur, vel servo auctori, proficiet ei solutio.

26 Resp. V. Creditori creditoris, etiam sine hujus mandato vel consensu rectè solvi potest debitum, ita tamen, ut debitor per hujusmodi solutionem ipso Jure quidem nondum sit liberatus ab obligatione sua, liberare tamen exemptione doli mali illic se possit, ac dicere; ego jam solvi tuo creditori, casu quo ab illo solutionem præterderet adhuc creditor, l. Si opera. 6. ff. de Doli mali except. & ibi Baldus, Sylvester §. Solutio. q. 4. Perez num. 6. h. t. Nisi ex eadem causa, quâ debitor obligatur creditori, hic obligetur alii priori creditori: v. g. debitor conduxit domum ab aliquo, qui eandem prius ab alio conduxerat; tunc enim ipso Jure liberatur debitor, solvendo creditori creditoris, uti citati habent DD. arg. l. 36. ff. de Negot. gest. & l. 11. §. 5. de Pignorat. act.

§. II.

De eo, quod solvi, modoque, quo debitorum solvi debet, ubi etiam de compensatione occulta.

SUMMARIUM.

- 27 Solvi debet id ipsum in specie, quod debetur.
- 28 Non tamen tenetur debitor debitas pecunias in eadem specie monetæ, quâ accepit solveere, nisi ita conventum sit, aut aliud creditor damnnum patere.
- 29 Controversia de casu mutætæ monetæ.
- 30 Mutatio monetæ alia intrinseca, alia extrinseca.
- 31 Si fit intrinseca monetæ mutatio, debet fieri solutio juxta bonitatem intrinsecam monetæ tempore contractûs, mutuo v. g. datæ.
- 32 Etiam si id specialiter in pactum non deducatur.
- 33 Si tempore contractûs specialiter conventum est, ut in eadem specie ac numero monetæ solutio fiat, ac interea mutatio monetæ contingat, damnnum & lucrum pertinet ad creditorem.
- 34 Nisi augmentum, vel diminutio nimia esset.
- 35 In casu quo species eadem monetæ conventæ haberi non possit, solutio fieri debet in alia specie ejusdem valoris.
- 36 Si tempore contractûs nec de specie, nec de numero monetæ aliquid conventum est, solutio fit in moneta tunc currente, sive extrinseca, sive intrinseca diminuta.
- 37 Idem est, si convenitur quidem, ut in certa specie monetæ fiat solutio, sed de certo numero nulla fiat mentio.
- 38 Nisi fiat mutatio monetæ ad certum solummodò ac determinatum tempus, vel etiam intrinseca fuerit.
- 39 Si debitor est in culpabili mora solvendi, contingente mutatione monetæ, damnnum ad ipsum solum Reiffuel Jus Can. Tom. III.

- 39 Qui factum debet, non satisfacit solvendo æquivalens interesse.
- 40 Solvitur obiectio.
- 41 Regulariter loquendo, totum, quod debetur, simul & semel solvi debet.
- 42 Ponuntur quatuor limitationes.
- 43 Si quis ex pluribus causis debet, & aliquam Solutionem faciens non exprimat, quodnam debitum solveere velit, censetur semper solum debitum magis onerosum.
- 44 Si tamen una cum capitali simul usuras debet, censetur solvere usuras; etsi debitor capitale se solveere exprimat.
- 45 Si conventionem speciali tempus solutioni præfixum est, servari debet.

- 46 Dies interpellat pro homine. Ibid.
- 47 Si tempus in gratiam debitoris determinatum est, ante illud solveere potest debitor; secus si etiam in gratiam creditoris determinatum inventitur.
- 48 Si nullum tempus est determinatum, potest debitor differre Solutionem, donec petatur.
- 49 Ponuntur duæ limitationes.
- 50 Si certus locus Solutioni est præfixus, ibi fieri debet.
- 51 Quid Juris, si pro Solutione locus præfixus non est? usque ad num. 55.
- 52 Debitum absque solutione tollitur acceptilatione. Acceptilatio quid? Ibid.
- 53 Restituens Chirographum, censetur tacite remittere debitum; non item, si Pignus restituatur.
- 54 Licita est Compensatio tam publica quam occulta, etque debitum tolli potest.
- 55 Etiam si ex parte utriusque concurrant debita inæqualia.
- 56 Ut Compensatio sit licita, requiritur primò, ut debitum sit certum.
- 57 Secundò (loquendo de foro externo) ut fiat circa res ejusdem generis.
- 58 Tertio, ut ordinariâ viâ obtineri facile nequeat.
- 59 In foro externo quorundam debitorum compensatio non datur, Et quorum?
- 60 Inter hæc etiam est debitum ex Commodato.
- 61 Pro foro interno licita est compensatio occulta in quovis debito, etiam circa res alterius generis, si ejusdem generis haberi nequit compensans; simulque debitum sit certum, & ordinariâ viâ obtineri nequeat.
- 62 Monitorio Doctorum ad occultè compensantem.
- 63 De occulta compensatione famulorum, & aliorum servitium. Remissivè.

Queritur I. Quid solvi debeat? Resp. I. Id ipsum, quod in specie debetur. Ratio est; quia, ut ait I. C. Paulus l. 2. §. 1. ff. de Rebus credit. Aliud pro alio, invito creditori, solvi non potest. Unde non satisfacit debitor, si invito creditori rem aliquam æquæ bonam vel pretium speciei debite solvat; cum sæpè specialis affectio sit ad aliquam rem in specie, aliudque sit pretium, aliud res. l. 1. ff. de Rerum Permut. & l. Tantum. 88. ff. de V. S. Hinc etiam non liberatur ab obligatione debitor, si pro pecuniis dat, vel dare vult equum, vel bovem, agrum &c. tantundem valentem. Nam præter allegatam Juris rationem hujusmodi solutio haberet speciem emptionis; emere autem invitus, & vendere regulariter nemo tenetur. l. Invitum. 11. C. de Contrahend. Emp.

Resp. II. Priore Conclusione haud obstante, non 18 tenetur debitor pecunias debitas, in eadem, qua accepit, specie solveere, sed satisfacit, si in alia quacunque demum specie dummodò probâ, v. g. pro imperialibus sibi mutuo datis, florenos &c. solvat; nisi expressè sit conventum, ut in eadem specie monetæ solutio fiat, l. Quæ extrinsecus. 65. §. 1. ff. de

Conclusio, est non urgeat solutionem creditor; quia dies interpellat pro eo, c. fin. de Locat. & Conduci. & ibi Glossa. y. Statuta. juncta l. Magnam. 12. C. de Contrah. & committ. stipulat. nec non L. 2. C. de Jure Emphyt. Hinc si ob culpabilem moram determinato tempore solvendi, damnum patitur creditor, refarciri debet a debitore, juxta Reg. 25. Jur. in 6.

46 Resp. II. Quando tempus determinatum fuit in gratiam debitoris, prout communiter contingere solet, l. Cum tempus. 17. ff. de R. I. potest debitor ante finitum tempus convenitunolvere, teneturque solutionem creditor acceptare, l. Quod certa. 70. & l. Qui res. 98. §. 4. ff. h. t. Ratio est; quia Regula Juris antiqua est, omnes licentiam habere, his, quae pro se introducta sunt, renuntiare. l. penult. C. de Pañis. Si verò tempus in favorem creditoris determinatum fuit, prout fit, quando pro summa capitali mutuo accepta dari debet usura, debitor ante illud tempus solutionem praestare non potest, nec eam creditor accipere tenetur l. Javob. nus. 15. ff. De annuis legatis. Et tradit communis DD.

47 Resp. III. Si nullum tempus pro solutione fuit determinatum, potest eam differre debitor, donec creditor petat. Abbas in c. Licet Heli. de sim. n. 13. Molina Disp. 564. num. 7. Lopez leg. 8. tit. 14. p. 5. Gloss. 1. Carpflor. p. 2. constit. 28. definit. 19. ac communis aliorum. arg. l. Debitores praesentes. 10. C. de Pignor. ac l. In Fideicommissi. 3. ff. de Usuris: cum concordantibus. Probatur etiam a sensu contrario; quia hoc ipso, quòd tunc solum monito creditoris necessaria non sit, si tempus solutionis praefixum est, eadem monito, seu petitio debiti necessaria rectè dicitur, si tempus praefixum non habetur. Ratio; quia quando in simili casu creditor solutionem non petat, prudenter praesumere potest debitor, creditorem quoad dilationem solutionis non esse invitum.

48 Limita tamen Conclusionem in casu, quo debitum descendit ex delicto, v. g. furto; tunc enim etiam sine petitione in culpabili mora restituendi ac solvendi delinquens est. Sylvester y. Mora. q. 1. Semper enim moram sur facere videtur, l. In re furtiva. §. 1. ff. de Condi. furtiva. Item limita, si debitor ex timore etiam reverentialis debitum petere non audeat, aut illud ignorat; in hoc enim casu debitor in culpabili mora esse censetur ex eo tempore, quo arbitrio boni viri solvere potest ac debet. Sylvester lo. cit. & ita ad praesens intelligi debet l. In omnibus. 14. ff. de R. J. ibi: In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, praesenti die debetur.

49 Resp. IV. Si certus locus solutioni praefixus est, Solutio fieri debet in loco convento. L. 1. & l. Is, qui. 9. ff. de Eo, quod certo loco pet. ibi: Is, qui certo loco dare promittit, nullo alio loco, quam in quo promissit, solvere invito stipulatore potest. Nec potest creditor alio in loco a debitore solutionem justè petere L. 2. §. 2. ff. eod. Excepto casu, quo debitor vel data opera, vel etiam justa de causa ad locum conventum nunquam veniret, aut venire non posset, uti expressè habetur L. 1. ff. eod.

50 Resp. V. Si locus pro solutione determinatus non est, & debitum oritur ex injusta acceptione, tenetur debitor propriis expensis restituere & solvere in eo loco, ubi creditor moratur, vel ubi dominus rem possessuruset, si ablata non fuisset. Covarruvias in Reg. Pacium. p. 1. n. 9. Lessius lib. 2. cap. 15. dub. 8. n. 48. Cajetanus 2. 2. q. 62. d. 5. & communis aliorum. Ratio est; quia creditor injustè læsus, per se reddi debet indemnis, notis Juribus.

51 Si verò ex contractu quid debetur, & contractus in gratiam solius debitoris celebratus fuit, similique talis est, in quo debitor aliquid, idem numero ite-

rum restituendum accepit (uti fit in commodato v. g.) tenetur debitor propriis expensis restituere rem acceptam in eo loco, ubi accepit. Lessius lo. cit. n. 52. Gibal. de Usur. lib. 1. cap. 3. a. 4. n. 7. & alii. Ratio est; quia æquum non est, ut ejus expensis restituatur, cujus commodum in contractu non queritur. Et contra par est, ut qui sentit commodum & onus sentiat, Reg. 55. de Reg. Jur. in 6. Nec tamen tenetur ad locum remotum, quo forsitan creditor migravit, remittere.

Contra, si quid idem numero restituendum debetur ex contractu in gratiam solius creditoris celebrato, qualis est, si quis depositum custodiendum in gratiam debitoris accepit, expensis ipsius creditoris deponentis v. g. restituendum venit; nec tenetur illud debitor propriis expensis ad dominum remittere, si vere praesens sit, sive ibi existat; sed satisfaciat, sive ibi, ubi accepit, tradat. Idem Lessius lo. cit. num. 54. & DD. communiter, ratione & argumento, praeced. n. à contrario sumpto.

Quòd si autem quid debetur ex contractu gratuito, vi cuius aliquid accipitur, & nihil amplius redditur, uti fit in donatione, promissione, legato, solvitur res ibi, ubi tempore donationis v. g. existeret; nec tenetur donans, promissor, vel haeres rem donatam &c. expensis suis ad donatarium &c. transferre. Lessius lo. cit. num. 59. Ratio est; quia qui rem gratis donat, vel promittit, non intendit se ad amplius obligare; sed relinquit donatarium, an rem donatam velii suis expensis auferre, nec ne. Actus autem agentium non operatur ultra intentionem eorum. l. Non omnis. 19. ff. de Rebus credit. Barbosa de Axiom. Jur. y. Alius.

Si tandem quid debetur ex contractu, ratione cuius aliquid datur, & aliquid accipitur, veluti in emptione. locatione &c. locus solutionis ibi erit, ubi res, pro qua datur alia, fuit accepta; nisi aliter inter se conveniant contrahentes. Lessius lib. 2. cap. 15. dub. 8. n. 56. Engel h. t. n. 7. ubi testatur, ita communiter sentire DD. Ratio, quam proponit, & ad longum deducit Lessius lo. cit. est; quia nullus alius locus justitiae magis congruit; eò quòd in similibus contractibus una res in locum alterius substituitur, quod perfectò modo fieri nequit, nisi idem locus servetur.

Resp. VI. Potest etiam debitor liberari à debito absque solutione per acceptionem, textu claro, §. 1. Instit. Quibus modis toll. obligat. & l. pluribus. 6. ff. de Acceptione. Est autem Acceptatio imaginaria solutio, per interrogationem debitoris & responsionem creditoris facta, quod enim ex verborum obligatione Titio debetur, si id Titius veli remittere, poterit sic fieri, ut patitur haec verba debitorum dicere. Quòd ego tibi promissi, habesne acceptum? & Titius respondet, habeo: sunt verba cit. §. 1. Instit. Quibus modis toll. obligat. Ut autem acceptione valeat, fieri debet, cujus debiti remissio petatur cit. l. pluribus. 6. ff. de Acceptione. Hinc ibidem dicitur: Si ego aliud accepto tui, aliud tu rogasti, nihil valere Acceptionem.

Porrò potest talis remissio debiti non tantum per expressa verba, sed etiam tacite fieri, & facta censetur; quando creditor debitoris Chirographum restituat, vel laceret, aut deleat, L. 2. §. 1. ff. de Pañis, ibi: Si debitori meo reddiderim cautionem, videtur inter nos convenisse, ne peterem. Non item, si ante solutionem Pignus restituitur creditor, L. 3. ff. de Pañis, ibi: Postquam pignus vero debitori reddatur, si pecunia soluta non fuerit, debitum peti posse, dubium non est. Etique communis DD.

Quæritur III. Utrum etiam per compensationem rite fieri possit solutio, & debitum expungi? Ante Responsionem scito, quòd Compensatio fit debiti & crediti inter se contributio, L. 1. ff. de Compensat. quæ, si publicè fiat, publica erit; si occultè, occultat-

52
53
54
55
56

lic v. g.

fic v. g. Si quis tibi centum debet florenos, & illos vià ordinarià acquirere non valens, ab eodem in occulto furripit totidem florenos; vel debitor ejusdem occultus existens solutionem in æquivalenti non praeflas, diceris occultam facere compensationem. Hoc notato. Resp. I. Si debita adsint Conditiones, omnino Jure licita est Compensatio. D. Thomas 2. 2. q. 66. a. 5. ad Testium. Glossa in can. Jus gentium. 9. dist. 1. y. Sedium. Abbas in c. Sicut. 29. n. 14. & 15. de Jur. Navarrus Man. cap. 17. n. 112. Sylvester y. Furtum. q. 13. Layman lib. 3. tr. 3. p. 1. cap. 1. n. 9. Molina Disp. 691. n. 1. Lessius lib. 2. cap. 27. n. 16. Engel h. t. n. 15. & communis aliorum. l. Dedisse 76. ff. de V. S. ibi: Dedisse intelligendus est etiam is, qui compensavit. Nec enim interest, solverit, an pensaverit; prout dicit Pomponius l. Si debitor. 4. ff. Qui potiores in Pignor. Concordat l. Si constat. 4. C. de Compensat. Ratio est; quia Jure naturali, & gentium licitum est, ex rebus debitoris sibi satisfacere, sèque indemnem reddere; quando aliter solutionem obtinere quis nequit.

Nec refert, si debita sint inæqualia; v. g. tu debes alteri ducentos, & ille tibi ex alia causa centum florenos; poteris enim nihilominus uti compensatione quoad concurrentem summam, centum videlicet florenorum. Textus expressus habetur cit. l. 4. C. de Compensat. ubi etiam statuitur, quòd non tantum tollat obligationem, ac sistat cursum à die, quo per debitorem opponitur compensatio, sed etiam à die, quà duo hujusmodi debita concurrerunt.

Dicitur notanter in Conclusionem: Si debita adsint conditiones. Ut enim compensatio sit licita, & subsistat, requiritur primò, ut debitum sit certum, L. 4. C. de Compensat. & quidem pro foro externo, ac si publicè fiat, ut causa ex qua compensatur, liganda sit, & non multis ambagibus innodata, sed possit Judici facilem exitum sibi praeflare. ut L. 14. §. 1. C. de Compensat. ubi etiam monentur Judices, ut non proclives ad admittendas compensationes existant. Ratio est; quia in dubio melior est conditio possidentis.

Secundò requiritur pro foro externo, ut fiat compensatio circa res in eodem genere fungibiles: quare valet quidem, si per compensationem pecuniæ pro debito pecuniario, frumentum pro frumento, oleum pro oleo surripiatur: non item, si pecunia pro equo, aut equus pro bove &c. Abbas in c. Bona fides. n. 12. de Compensat. Molina Disp. 61. num. 1. Layman lo. cit. n. 9. Engel lo. cit. n. 15. & alii. Ratio est; tum quia L. 2. §. 1. ff. de Rebus credit. Aliud pro alio invito creditori solvi non potest: tum quia diversa corpora diversæ sunt æstimationis; transireque talis compensatio in novum contractum emptionis, vel permutations; qualem inire invitus regulariter nemo tenetur, juxta superius dicta. Potest nihilominus in hoc casu res aliena diversæ generis pro alia re debita remitti. Engel lo. cit. arg. l. Si non sortem. 26. §. 4. ff. de Condi. indebti.

Tertiò requiritur, ut alia convenientiori, & ordinarià vià debitum facile obtineri non possit. Glossa in can. Jus gentium. 9. dist. 1. y. Sedium. Layman lo. cit. n. 9. arg. L. un. C. Ne quis in sua causa. ibi: Generali lege decernimus, neminem sibi esse judicem, aut jus sibi dicere debere. Molina Disp. 691. n. 1.

Porrò pro foro externo sunt quedam debita excepta, ita ut in illis pro foro externo compensatio non valeat, etiam si ejusdem generis, & alià vià obtineri nequeant. Veluti si quis Republicæ ex causa vethigalis, vel tributi debet, L. 2. de Compensat. Item si quis debet ex furto, rapinâ, ipsio, fraude &c. l. In §. 2. C. de Compensat. ibi: Possessionem autem alienam perperam occupantibus Compensatio non datur. Rufus si quis debet ex deposito, c. fin. de Deposito,

ibi: Sanè depositori licuit pro voluntate sua depositum revocare, contra quod Compensationi, vel deductioni locus non fuit. Ubi per ly deductioni compensatio ex parte intelligitur, Glossa in cit. c. fin. y. Contra quod. quæ sit, dum debita sunt inæqualia juxta dicta superius n. 58.

Utrum autem in foro externo etiam in Commo dato compensatio valeat, nec ne, controversum est inter DD: Sylvester siquidem y. Compensatio. Abbas in at. c. fin. de Deposito. n. 12. citans communem, affirmativam tenet. Engel verò h. t. n. 15. Lessius lib. 2. cap. 27. n. 16. & alii negativam tuerunt, quibus & nos adhaeremus ob Juris textum reverè satis clarum l. fin. C. de Commodat. ibi: Praetextu debiti, restitutio commodati non probabiliter recuratur.

Verum pro foro interno conscientia hæc debitòrum exceptio locum non habet; sed potest etiam fieri compensatio occulta, ita ut rem quascunque creditoris etiam alterius generis in æquivalenti (si ejusdem generis haberi non potest) vel occultè surripere, vel, si jam habet (uti fit in deposito, commodato, re per furtum vel fraudem acquisita &c.) retinere debitor valeat; dummodò debitum sit certum; est illud probare nequeat; (uti pro foro externo requiritur L. 14. §. 1. C. de Compensat.) & debitor rem suam ordinarià vià acquirere commode nequeat. Ita Doctores n. 57. citati cum communissima aliorum, ob rationem ibidem citatam.

Monent tamen plerique, ut Molina, Layman lo. 65. cit. Abbas in c. Sicut. 29. n. 15. debitorem occultè compensantem, ut omni possibili modo vigilet, ac laboret, ne creditor vel haeres, ipsi debitori, vel hæreditus illius denudò solvant, aut ex erronea conscientia peccatum committant, omittendo solutionem, ad quam adhuc se obligatos existimant. Item attendat, monent, ne det scandalum, aut se ipsum infamet, ac tanquam alienæ rei invalor, vel fur in foro externo habitus puniatur: sic enim per accidens etiam in foro interno peccatum committeret.

De occultà compensatione famulorum, & aliorum servitium &c. dictum est supra Tit. 18. de Locatione & Conducto. §. 4. num. 105.

§. III.

De Ordine inter creditores in solvendis debitis servando, dum debitor nimis obæratu moritur, aut cedit bonis: ubi etiam de Conditione indebiti.

S U M M A R I U M.

- 67 Condiçtio indebiti definitur.
- 68 Indebitum ac debitum triplex.
- 69 Qui utroque Jure indebitum per errorem solvit; repetere potest.
- 70 Solvens debitum Jure Civili, naturali verò indebitum, repetere potest.
- 71 Pariter repetere quis potest solum per ignorantiam facti, indebitum Jure Civili; & debitum jure naturali; dummodò ignorantia crassa & supina non sit.
- 72 Universaliter & absolutè loquendo, sive per Juris, sive per facti ignorantiam indebitum quis solvat, repetere potest.
- De ignorantia Juris plura Ibid. & n. seqq.
- 73 Probatur, & confirmatur Conclusio ex Jure.
- 74 Solvuntur Leges in contrarium citatæ, usque ad numer. 77.
- 77 Qui sciens indebitum solvit, repetere non potest: secus est, de eo, qui mente dubia & stultante solvit.

- 78 *Afferens, se indebitum solvisse, probare debet: nisi solum accipiens inique negaret, se aliquid recepisse.*
- 79 *Deficientibus ad cuncta debita solvenda mediis sequens ordo servari debet, ut primo solvantur, seu restituantur res alienæ apud debitorem existentes.*
- 80 *Secundò sumptus Judiciales.*
- 81 *Tertio impense funebres, ac illi creditores, qui ad has interea aliquid subministrarunt.*
- 82 *Item illi, qui ad insinuationem testamenti, vel confessionem Inventarii &c. aliquid subministrarunt.*
- 83 *Quarto debita contracta apud pharmacopœum, medicos, & chirurgos.*
- 84 *Tempore infirmitatis ultimæ, non item prius contracta.*
- 85 *Quid ad rescindendam, conservandam, & edificandam, vel emendam rem-mutuam dant &c.*
- 86 *Quintò uxores quoad allatam dotem: præferuntur etiam hypothecariis creditoribus, & quando?*
- 87 *Quoad dotem promissam, & nondum solutam nullo gaudent privilegio.*
- 88 *Sextò, Pupilli, Minores, ac reliqui curatorem habentes: item loca, & causæ pæ quoad bona suorum Tutorum, Curatorum, & Administrato- rum.*
- 89 *Septimò, Fiscus quoad bona eorum, qui cum illo contraxerunt, vel bona illius administrarunt.*
- 90 *Oclavò, creditores hypothecarii expressam hypothe- cam habentes.*
- 91 *Quibus etiam comparantur provisi tacitâ hypothe- cæ.*
- 92 *Nonò, Creditores Chirographarii: qualis ordo inter ipsos?*
- 93 *Ordo de Jure Bavarico præscriptus.*

Quæritur I. Quid sit Condicio indebiti, & quando locum habeat? Resp. Condicio est actio personalis, quam quisque habet contra eum, cui indebitum, hoc est, aliquid, quod ei non debebat, per errorem solvit. Ita in re communis DD. arg. tot. tit. ff. & C. de Conditione indebiti. Declaratur definitio exemplo, v. g. si quis non amplius recordans, aut ignorans, à le, vel uxore, aut œconomo suo debitum aliquod creditori jam esse solutum, denuò solvat, potest dein, id rescisci, ita solutum tanquam indebitum condicere, id est, actione instituta repe- tere; si aliter reddere nolit creditor. Idem est, si quis ex ignorantia putet, se de Jure quid debere alicui, illudque solvat, quia, uti num. 72. dice- mus, datur Condicio indebiti, non tantum, si solutio per errorem facti, sed & si per errorem Juris facta est.

68 Pro secunda quæstionis parte prænotandum cum Glossa in c. fin. h. t. v. *Indebitum*, Abbate in idem. n. 4. 7. & 8. h. t. & aliis: sicut debitum, ita indebitum varium, præsertim verò triplex dari. Primò enim datur indebitum Jure tam naturali quam Civili, id est, quod nec Jure naturali, nec Civili debetur. Secundò datur indebitum jure naturali tantum, Jure Civili verò debitum. Tertio datur indebitum solo Jure Civili, naturali Jure verò debitum. Si ex nudo pacto oritur obligatio, & debitum de Jure naturali; quod tamen de Jure Civili est indebitum. *L. Juris gentium. 7. §. 4. Sed cum nulla. ff. de Pactis.* Hoc notato

69 Resp. I. Qui utroque Jure indebitum, id est, quod nec Jure naturali, nec Civili debuit, per errorem solvit, solum condicere, ac repetere potest. Communis ac certa, tot. Tit. ff. & C. de Conditione indebiti. Ratio est; quia natura æquam est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorum. *L. Nam hoc. 14. ff. de Conditione indebiti.* hoc autem inique fie-

ret, si utroque Jure indebitum solutum repeti non possit.

Resp. II. Qui per errorem solvit indebitum Jure naturali, debitum verò Jure Civili, solum pariter condicere, se repetere potest. Glossa lo. cit. Abbas in c. fin. h. t. num. 14. Pirhing eod. num. 32. & alii, arg. l. Si non sortem. 26. §. indebitum. 3. ff. de Conditione indebiti. Ratio est; quia qui per errorem solvit, certat de damno captando, is verò, qui solutum accepit, de lucro captando; in quo casu, nec Juris ignorantia nocet, *l. Error. 8. ff. de Jur. & facti ignorant. ibi: Ceterum omnibus Juris error in damnis amittendæ rei suæ non nocet.*

Resp. III. Quando quis id, quod Jure naturali tantum, non item Civili debet, per ignorantiam facti solvit, condicere ac repetere solutum potest. Glossa in cit. c. fin. h. t. v. *Indebitum*. Abbas in idem. n. 12. arg. l. Error. 8. ff. de Jur. & facti ignorant. ibi: Error facti ne maribus quidem in damnis vel compendiis obest. Dummodo lupina, crista, aut affectata non sit, *l. Nec supra. 6. ff. eod. ibi: Nec supra ignorantia ferenda est factum ignorantis.* Ratio ibidem assignatur; quia hujusmodi ignorantia pro scientia habetur; ubi autem quis scit, le Jure naturali quid debere, haud dubiè solvere, aut solutum jam relinquere tenetur; etià Jure Civili ad id non tenetur, eò quod ignorantia talis non excuset, *c. Apostolica. 9. de Cleric. ex-Commun. minif. & c. 2. de Constit. in 6. Abbas lo. cit. & communis.*

Resp. IV. Præcedentes Conclusiones procedunt ita, 72 ut indebitum solum repetere quis possit, si per ignorantiam Juris, si ve facti solvit. Calvinus v. *Condicio indebiti*: ubi citat alios. Quoad primam & secundam Conclusionem tenent etiam Abbas in cit. c. fin. num. 11. & 14. h. t. Glossa in idem. v. *Indebitum*. Pirhing & alii. Quoad tertiam verò idem, Abbas quidem lo. cit. n. 12. Pirhing verò lo. cit. n. 33. Glossa lo. cit. dissentunt; arg. l. 1. & l. 2. ff. de Jur. & facti ignorant. ubi expressè ac repetitis vicibus habetur, quod Jure ignorantia non prodest, adeò ut l. Regula. 9. prin. ff. eod. pro Regula ponatur: *Regula est, Juris quidem ignorantiam cuique nocere, facti verò ignorantiam non nocere.* Accedit in qua se principaliter fundant Adversarii, *l. Cum quis. 10. C. eod. quæ ad propositum loquens sic habet: Cum quis Jus ignorans, indebitam pecuniam solverit, cessat repetitio, per ignorantiam enim facti tantum repetitionem indebiti soluti competere, tibi notum est.*

Probatur autem nostra doctrina universaliter de omnibus tribus Conclusionibus. Condicio indebiti introducta est ex æquitate naturali, *l. In summa. 65. §. Quod ob rem. 4. & l. seq. ff. de Conditione indebiti.* atqui eadem est ratio æquitatis naturalis repetendi seu condicendi, si ve per Juris, si ve per facti errorem solvatur indebitum; cum Jure nature reverà iniquum ac injustum sit, ut is, qui indebitum accepit, cum alterius facturâ locupletetur, *l. Nam hoc. 14. ff. eod. ac Reg. 206. ff. de Reg. Jur. ibi: Jure nature æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuriâ fieri locupletiorum*; consequenter si quis ostendere potest, se ex errore si ve facti si ve Juris solvisse, quod non debuit, accipiens restituere debet; aliàs certè injustè retinet alienum, & facit injuriam solvendi; consequenter cum illius detrimento ac injuriâ contra Jus nature locupletior sit. Confirmatur: Universaliter & absolutè loquendo, Juris error aut ignorantia illi, qui agit de damno amittendæ rei suæ, non nocet, *l. 8. ff. de Juris & facti ignorant.*

Leges in contrarium allegatæ, si quid probarent, 74 nimium probarent: probarent enim contra ipsos Adversarios, videlicet, quod solutum indebitum per ignorantiam Juris etiam in casibus primæ & secundæ

secundæ Conclusionis non prodesset, nec conditionem admitteret; cum citatæ Leges universaliter ac indistinctè loquantur, Juris ignorantiam non prodesse, & hæc ignorantia solum indebitum repeti non posse, uti legenti patet. *Ubi autem Lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*, juxta vulgatum Juristarum axioma, quod habetur in Summario *l. de Pretio. ff. de Publician. in rem act.* Et verba generalia generaliter sunt intelligenda *c. Quia circa. 22. de Privileg.*

75 Hinc ad Leges ex ff. Tit. de Conditione indebiti. citatas respondetur, ab iis exceptam esse Juris ignorantiam in casu conditionis indebiti, hoc ipso, quod in pluribus Legibus ff. & C. de Conditione indebiti. absolutè & indistinctè statuatur, per errorem, seu ignorantiam solum indebitum condici, ac repeti posse.

76 Ad *L. 10. C. eod.* respondetur, eam loqui de casu particulari, in quo solvens forsitan supinum habuit ignorantiam Juris, quæ hoc ipso, quod æquiparetur scientiæ, *l. Nec supra. 6. ff. de Jur. & facti ignorant.* & is, qui scienter indebitum solvit, repetere non potest juxta dicenda inferius num. seqq. bene in hoc sensu loquitur dicta *L. 10. C. de Conditione indebiti.* Favet etiam *l. Regula. 9. §. 3. ff. de Jur. & facti ignorant.* ibi: *Sed Juris ignorantiam non prodesse, Labeo ita accipiendum existimat, si Jurisconsulti copiam haberet, vel sua prudentiâ instruitus sit, ut cui facile sit scire, ei detrimento sit Juris ignorantia*; utpote in simili casu lupina seu crassa.

77 Resp. V. Qui scit, se non debere, & tamen solvit, non potest solum condicere vel repetere. *L. 1. ff. de Conditione indebiti. ibi: Si sciens se non debere, solvit, cessat repetitio.* Idem habetur, *l. Si non sortem. 26. §. 5. ff. eod.* Ratio est; quia talis præsumitur donare: *Nam cujus per errorem datur repetitio est, ejus consultò datur donatio est. l. Cujus. 53. ff. de Reg. Jur.* Nec refert, si hæc mente dedit, quod velit iterum repetere, *l. Quod quis. 50. ff. de Conditione indebiti.* ibi: *Quod quis sciens indebitum dedit hæc mente, ut postea repeteret, repetere non potest.* Secus foret, si animo dubio, incerto, aut titubante solvit, *l. fin. C. eod.* Quia ut dicitur *Reg. 41. ff. de R. J. In re obscura melius est favore repetitioni, quam adventitio lucro.*

78 Resp. VI. Qui Conditionem intencat, & dicit, se indebitum solvisse, probare debet, quòd fuerit indebitum; nisi adversarius negaret, se à condicente solutionem accepisse: tunc enim si de solutione accepta convincatur, ipse probare debet, id, quod solutum accepit, sibi revera debitum fuisse. Ita expressè habetur *c. fin. h. t. ac l. Cum de indebitio. 25. ff. de Probat.* Ratio primæ partis est; quia præsumptio stat contra solventem, cit. *l. Cum de indebitio. Qui enim solvit, ut ibidem habetur, nunquam ita resipiscit, ut facile suas pecunias jactet, & indebitas effundat.* Ratio secundæ partis est; quia hoc ipso, quòd inique negans convincatur de mendacio, stat præsumptio contra ipsum, quòd causam iniquam foveat, ut proin eidem non immeritò imponatur onus probandi, id, quod solutum accepit, sibi debitum fuisse, cit. *l. Cum de indebitio. & c. fin. h. t.* Licet enim aliàs actori incumbat probatio, nihilominus si præsumptio stat contra eum in eundem onus probandi rejicitur; ubi bene advertit Glossa *fin. ad cit. c. fin. h. t. arg. l. Sive possidetis. 16. C. de Probat.*

79 Quæritur II. Quo ordine Solutio faciendâ sit, seu cui ex creditoribus solutio prius præstanda, vel restitutio faciendâ sit, casu quo debitoris media non amplius sufficienti ad cuncta debita solvenda, aut debitor moriatur, aut cedat bonis? Resp. sequentem ordinem servari debere. Primò omnium solvendi, ac cæteris cunctis præferendi sunt illi, qui res sibi proprias apud debitorem existentes habent: quales sunt, qui

apud debitorem aliqua deposuerunt, vel ei commo- dârunt; vel si quæ ab eis furto ablata &c. apud debitorem existant; hæc enim ante omnia dominis suis restituenda veniunt. Molina *Disp. 536. num. 29.* cum communi *l. Deposuit. 28. ff. de Pecul. l. Procuratoris. 5. §. Sed si dedit. 18. ff. de Tribut. act. l. Cum fundus. 31. ff. de Rebus credit.* Ratio est; quia solutio fieri debet de propriis bonis debitoris, consequenter res alienæ prius dominis suis restitui debent, nec de illis solvi potest aliis creditoribus.

Secundò solvendi veniunt sumptus Judiciales, si 80 quos forsitan ratione Processus edictalis, vel Inventarii &c. vel solutionis de bonis relictis ab ipso Judice creditoribus præstita fieri contingunt. Azorius in *Summa aurea. lib. 3. C. Rubr. de sport. & sumpt.* Burglacher de *Privileg. credit.* Rhaat in *Dissertat. Jurid. ad Process. edict. Thesi 11.* Quamvis enim id ex Jure per textum aliquem probari non possit; Ratio tamen & æquitas naturalis dicit, ut cum Judices pro utilitate creditorum laborent, labores eorum dignam remunerationem recipiant. Idem decernitur in *statut. Bay. in Process. edict. ar. 2.*

Tertio loco etiam ante creditores hypothecarios sol- 81 vendi veniunt sumptus funebres seu funeralia. Garcias de *Expens. & meliorat. cap. 8. n. 18. & 25.* Neguzant. de *Pignor. p. 5. memb. 2. l. 18. l. 19. l. Impensa. 45. ff. de Relig. & sumpt. fun.* ibi: *Impensa funeris semper ex hæreditate deducitur, quæ etiam omne creditum solet præcedere; cum bona solvendo non sint.* Ratio est publica utilitas, ne cadavera maneant insepulta. Ob quam rationem, prælationis privilegio gaudet etiam ille, qui interea ad funerandum media subministravit, Molina lo. cit. nu. 32. Garcias lo. cit. n. 25. Rhaat lo. cit. Thesi 30. Sumptus funeris dicuntur, quidquid ratione corporis erogandum est, *L. 27. de Reg. & sumpt. fun.* ubi res amplius declaratur. Debent autem impensæ funeris non excessivè cum detrimento creditorum, sed moderatè fieri juxta statum defuncti, & consuetudinem loci, uti communiter notant DD.

Ad hunc locum referuntur ii creditores, qui aliquid 82 in Testamenti insinuationem, vel Inventarii confessionem, vel in alias necessariis causis hæreditatis probaverint, sese persolvissè: uti verbis formalibus statuitur *l. fin. §. 9. C. de Jure delib.* Molina lo. cit. n. 32. & alii. Ad eundem locum, vel potius quarto loco solven- 83 da veniunt debita tempore infirmitatis ultimæ, apud Pharmacopœum, Medicos, & Chirurgo contracta, *Surdus dec. 255. n. 26.* Rhaat lo. cit. Thesi 33. & Doctores communiter, arg. *l. In restituenda. 4. C. de Petit. hered. ac L. 3. C. de Relig. & sumpt. fun.* Ratio est: ne aliàs medicinæ & Medicorum defectu, infirmi debitis obæratî necessariò mori debeant; cum Pharmacopœus, Medici & Chirurgi rationabiliter prævidentes, le solvendo non esse, vel sine mercede debita laboraturos, auxilium, & remedia negarent.

Dicitur notanter tempore infirmitatis ultimæ; quia, 84 uti communiter notant DD. impensas Pharmacopœorum, Medicorum &c. quæ ab antiquo restant, prælationis privilegio non gaudent. Ratio est: tum quia sibi imputare debent, quòd satisfactionem sibi debitam non prius exegerint. Tum ne patrimonio cum detrimento aliorum creditorum nimium exhauriant. Tum etiam, ut addit Berlich *lib. 1. concl. 64. num. 98.* ne tribuatur eis occasio, ægroto necem procurandi, ex eo, quòd videant, se à creditore, ære alieno nimium gravato, debita obtinere aliter haud amplius posse.

Quintò veniunt, qui ad reparationem vel confer- 85 vationem alicujus domus, vel alterius ædificii pecunias, vel materialia dedit. *l. Creditor. 25. ff. de Rebus Credit. & si cert. petat. l. interdum. 5. Qui potior in Pignor. Myning. cent. 1. Observ. 8. n. 7. & alii.* Ratio datur

datur l. Hujus. 6. ff. qui potiores in pignor. quia ita mutans pecunia sua salvam fecit totius Pignoris causam. Ad eundem locum pertinent, qui ad emendam, vel ædificandam noviter domum vel aliud ædificium mutuas dederunt pecunias, hæc tamen cum distinctione, ut dum ita mutuo dans privilegio hoc gaudere vult, sibi simul rem, ad quam emendam, vel ædificandam mutuas dat pecunias, sibi pro expressa hypotheca pacificendo statim reservet, textu claro l. Quamvis. 17. C. de Pign. & hypoth. & l. Licet. 7. ff. Qui potiores in Pign.

86 Sexto loco collocantur uxores quoad dotem allatam; quia uxores pro hac tacitam hypothecam, & jus prælationis ante reliquos creditores actione personali gaudentes, habent. Ita expressè habetur l. Affiduis. 12. C. Qui potiores in pign. junctâ l. un. C. de Rei uxor. act. Præferuntur etiam hypothecariis creditoribus, casu quo hypotheca primum post matrimonium, & dotem allatam, non item si antea constituta est; uti cum communi aliorum bene docet Gailus lib. 2. Observ. 25. n. 10. Zoëf. in §. Fuerat. num. 22. §. 29. Instit. de Actio. ubi dicit, hanc sententiam esse verissimam, eamque tenet Glossa in cit. l. Affiduis. §. Licet anteriores.

87 Dicitur notanter, quoad dotem actu jam allatam; quia quoad dotem tantum promissam vel cautam, item confessam à marito, quasi data jam esset, cum data & numerata non sit, Communis tenet, uxorem nullo gaudere prælationis Privilegio; prout videre est apud Gailum lib. 2. Observ. 81. per totum. ubi etiam tenetur, hanc esse in Camera approbatam opinionem. Ratio est; tum quia dotem numeratio, non scriptura facit; & idè non ignoras ita demum ad petitionem dotis admitti posse, si dotem à te ipsâ datam probatura es. Concordat l. Si ex cautione. 3. C. de non numerat. pecun.

88 Septimus locus competit pupillis, & minoribus, atque aliis curatorem habentibus; ut sunt prodigi, amentes &c. item causis piis respectu bonorum, Tutorum, Curatorum, administratorum &c. utpote in quæ tacitam hypothecam, ac ideo jus prælationis præceteris, etiam anterioribus Chirographariis creditoribus, & posterioribus hypothecariis, non item anterioribus hypothecariis habent, sicut supra de uxore dictum. De pupillis, minoribus, prodigis, res in Jure certa est, per L. 4. §. 1. de Privileg. credit. ac L. fin. de Tit. ac ration. distrah. cum concordantiis. De causis piis controversia est inter Doctores, uti videre est apud Berlich lib. 1. concl. 67. n. 47. & seqq. tamen quia gaudent Jure Minorum, eisdem hoc privilegium denegandum non est.

89 Octavum locum possidet Fiscus in bonis eorum, qui cum eo contraxerunt, vel administrationem rerum ad Fiscum pertinentium habuerunt; quia Fiscus in horum bonis tacitum pignus habet; Nam Certum est ejus, qui cum Fisco contrahit, bona veluti pignoris titulo obligari, quamvis specialiter id non exprimitur, L. 2. C. In quibus causis Pign. tacit. ac l. Aufertur. 46. §. 3. ff. de Jure Fisci, cum concordantiis. Et hinc

non tantum anterioribus creditoribus Chirographariis, sed etiam posterioribus hypothecariis, non item anterioribus præferuntur.

Nono loco ponuntur creditores, qui habent hypothecam expressam; hi enim quoad bona hypothecata vel oppignorata præferuntur reliquis supra non recensitis, qui solam actionem personalem habent. l. Eos. 9. C. Qui potiores in pign. ibi: Qui acceperunt pignora, cum in rem actionem habeant, privilegii omnibus, quæ personalibus actionibus competunt, præferri constat. l. Si pignus. 8. ff. Qui potiores in Pign. cum concordantiis. Molina lo. cit. num. 23. Quinam autem ordo sit observandus inter ipsos hypothecarios expressos, superius Tit. 21. de Pignor. num. 78. & seqq. dictum est.

Huc reducunt Faber de Errorib. pragmat. Decad. 91. 6. error. 3. Rhaat. Assert. 99. per totum, & alii etiam illos creditores, qui tacitam hypothecam habent. Ratio eorum est; quia cum tacita hypotheca æquè, ac expressa rem afficiat, l. Si quis. 8. C. de secund. nupt. nec apparet ratio, cur hypotheca constituta ab homine sit majoris virtutis, ac constituta per Legem, merito hypotheca tacita ejusdem efficacie cum expressa quoad propositum habetur, L. 2. & 4. C. Qui potiores in pignor.

Tandem veniunt creditores personales, seu Chirographarii nullum jus prælationis habentes; quorum de Jure communi nullus præferatur alteri, est aliqui eorum potiores sint tempore, & antiquiorem præntentionem habeant; ut prout in his Juris regula 54. de Reg. Jur. in 6. Qui prior est tempore, potior est Jure, non attendatur; sed si media non sufficiant, singulis debita solvantur pro rata, ita ut qualis est proportio debiti ad debitum, quoad quantitatem, talis sit proportio ejus, quod quisque accipit, ad id, quod alii accipiunt, Molina Disp. 536. n. 41. Gailus Observ. 25. num. 13. ac alii, arg. l. Privilegia. ff. de Privileg. credit. l. Si hominem. 7. §. fin. ff. Deposit. ac l. Pro debito. 6. C. de bon. auth. Jud. poss. ibi: Equali portione pro rata debiti quantitate omnibus creditoribus consuli potest.

De Jure Bavarico in processu Edictali, Gand-Procefs sequens in solvendis creditoribus, casu quo debitor credit bonis, servatur ordo à Jure communi haud multum difformis, & de reliquo æquitati summe consentaneus, uti legenti articulos patet, in quos latè Illustrissimus D. Schmidt. Primo loco ponuntur sumptus Judiciales. 2. Impensæ funerales, cui æquiparantur expensæ in Pharmacopœum, Medicos, & Chirurcos. 3. Merces operariorum & famulitii domestici. 4. Qui ad reparandam, conservandam, ædificandam, emendam, domum &c. materialia, vel mutuas pecunias dederunt. 5. Uxor ratione dotis. 6. Pupilli, Minores, & aliæ causæ piæ. 7. Fiscus. 8. Creditores hypothecarii. 9. Chirographarii habentes confecta Instrumenta coram Notario, & testibus. 10. Qui solum personale privilegium habent, ut Chirographariis simplicibus præferantur. De quibus vide in fonte, & ibi Illustrissimum D. Schmidt.

JUS
CANONICUM
UNIVERSUM,
AUTHORE
R. P. F. ANACLETO
REIFFENSTUEL.

Tomi Tertii Pars Secunda.